

032

HISTORIA LITERARIO - CHIRURGICA
LITHOTOMIAE MULIERVM

Specimen, in auspiciis noui muneris a. d. xxviii. Marti clccclxx
in Vniuersitate Lipsiensi h. l. q. c. solemni oratione adeundi,
propositum ab ERNESTO PLATNERO



Lipsiae
ex Officina Breitkopfiae

19
102
Chirurg.


60,30

1217

HISTORIA LITERARIO - CHIRURGICA

LITHOTOMIAE MULLERVM

Specimen in auspicijs noui muneris a. d. xxviii. Marti classicis
in Universitate Lipsien. h. l. p. c. solenni oratione abeundi
Proposuit ab Ernesto Platnero



Lipfiae
ex Officina Breitkopfii

Fuit semper singularis quaedam atque intemperans Chirurgorum (inprimis Gallorum) reprehendendi, corrigendi, inveniendi, tentandi, immutandi libido ac paene petulantia; nata a ieiuna ista quorundam hominum vanitate, qui aliena omnia improbant et perstringunt, et censores vitio creati corrigere omnia ac emendare gestiunt; proprios autem ingeniosi foetus simiarum more admirantur, laudant, fouent, et contra omnem censurae veritatem tuentur. Aluit hanc temeritatem misera arrogantiae soboles, invidia; quae ubi semel coepit alienae laudis aemulatione agitari, ad calumnias, obtreptiones, insidias rapitur; omnes aliorum labores, omnia inuenta, ipsos adeo inueniendi ac laborandi conatus, ludibrio habet, improbat, vituperat, labefactat, suppressit. Et his discordiis atque invidiae concertationibus, quibus Medici atque Chirurgi, magis quam vilissimi officii homines, dediti esse dicuntur, non turpissima tantum artis salutaris honori, nota iniusta est, sed saluberrimi quoque eius fructus etiam nunc intercipiuntur. Tota enim mendendi ars his dissidiis ita distracta est, vt partes eius et membra quasi, vndique in opinionibus disiecta iaceant; quae, licet molestissimo labore conquistata, vix tamen possunt inter se ita connecti atque compingi, vt quaecunque demum corpus, et forma quaedam doctrinae inde effingatur. Haec res, quam alius testimoniis destitui optabile foret, manifesta praesertim est in calculi curatione, in qua explicanda, emendanda et perficienda, tanta ingenii et animi contentione laborarunt periti et imperiti magistri, vt omnis Chirurgiae laus atque utilitas in Lithotomiae finibus contineri videatur. Nolo iam omnes istas vicissitudines, quae a primis Chirurgiae initiis, calculi curationi contigerunt, repetere; quod post GVNZII, LE DRAN, LOVIS et aliorum in hoc genere clarorum scriptorum lucubrationes, facile
qui-

IV

quidem foret, nisi iniquum existimarem istam plagii iniuriam, quam in tot compilatorum scriptiunculis, toties experti sunt doctissimi viri, nouae compilationis crimine cumulare. Quae cum ita sint, aliquam tantum huius argumenti particulam decerpere apud me constitui, et ad hanc scribendi necessitatem usurpare; et eam quidem, quae a nemine adhuc curiose tractata esset, nec tamen sua careret utilitate, nec ab hac scribendi opportunitate magis, quam a studiorum meorum et noui muneris ratione esset aliena.

§. II. Calculi sponte a mulieribus eieci.

Est haec communis omnium Chirurgorum vox, rarius feminis calculos gigni, quam viris, quibus ista granula arenosa propter tubuli vrinam expellentis angustiam et longitudinem, facilius in vesica contineantur, et conglutinentur. Interim tamen calculosarum feminarum exemplis paene innumeris abundant monumenta scriptorum, et testantur hoc inprimis tot clarorum Chirurgorum curationes. Memoria prae ceteris dignum est praegrandis calculi exemplum, qui tringintatium vnciarum pondus haberet; in *Philosophical Transactions*, 1751. p. 596. Aliud exemplum calculi quatuordecim vnciarum ex vesica mulieris excissi, legitur in *Journal de VANDERMONDE*, Tom. XII. Mens. Januar. 1760. p. 54. Similis narratio exstat in *Histoire de l'Academie des Sciences* 1750. Et nuperrime magnum rusticae virginis calculum in observationes suas retulit HALLERVS (*Opp. min. T. III. p. 330.*) Etsi vero calculi a feminarum genere non abhorreant, rarius tamen illae chirurgiam cruentam patiuntur, quippe quarum vrethra, vel naturae, vel mitioris chirurgiae beneficio ita distenditur, vt lapides quandoque maiores commode possint exire. Primum itaque feminarum calculosarum auxilium in dilatatione ponendum esse, omnes consentiunt; quae sponte interdum euenire solet. De calculis mulierum sponte excretis, innumerae exstant apud scriptores narrationes. Nolo illa transcribere quae HEISTERVS congeffit, (*vid. Instit. Chir. T. II. p. 962. 63.*) Ad di tamen his possunt similia exempla, quae leguntur in MANGETI *Bibliotheca Chirurgica*, T. I. p. 218. 222. 224. sqq. in BONNETI *Medicina Collatitia*, P. I. p. 764. P. II. p. 511. *Act. Nat. Curios. Vol. X. A. 1754. p. 408.* MORGAGNI *de Caus. et Sed. morb. T. II. p. 163. sq.* Singularis quoque observatio est, quam tradidit Venerandus Senex SALVATOR FRANCISCVS MORAND Chirurgorum huius seculi facile princeps, (cuius ego eximiam in me benevolentiam et, propter

propter paterni nominis memoriam, paternum fere amorem, gratissima semper agnoscam mente) in egregio libro *Traité de la Taille au haut Appareil* p. 146. sqq. Virgo nimirum duodeviginti annorum calculum quatuor unciarum, tussis violentae impetu ex vesica per vaginam vteri, dilatato ante vrethrae orificio, eiecerat, ita ut, sine ullo chirurgiae auxilio, viarum urinam expellentium robur et pristinam valetudinem recuperaret.

Quodsi autem naturae facultate destituantur feminae calculosae, tunc ista naturae imbecillitas efficaci medicina firmanda est. Neque tamen protinus ad eam confugiendum. Cum enim feminarum vrethra mirum in modum possit distendi, illa prius chirurgia experienda est, quae istis dilatandi conatibus subuenit. Huius tamen rei multae sunt cautiones. Videndum enim est, ne, si maior calculus fuerit, nimis intensa distensione urinae meatus labefactentur, et aegrae vires consumantur. Neque tamen nimis parum ab vrethrae facultate sperandum esse arbitror, in quem errorem magnos quosdam Chirurgos video incidisse. Quapropter calculi magnitudo sedulo exploranda et ad aegrae vires metienda est. Erit autem huius rei dilucidandae deinceps locus. Ad hanc dilatationem, quae sine incisione fit, varia auxilia excogitarunt Chirurgi. Et primo quidem singularis est medicina, quam Aegyptii non feminis tantum, sed ipsis adeo viris adhibuerunt, teste PROSPERO ALPINO de *Medicina Aegypt.* L. III. C. XIII. Cannulam nimirum ligneam in vrethram immittebant, angustiolem primam, cui deinde ampliores succederent. Aërem deinde inflabant, et tandem vrethra hac ratione distenta, fuga vacui, quam dicunt, calculum eliciebant. Eodem artificio remotioribus iam tum temporibus vsi sunt Arabes, a quibus illud didicerat OCTAVIUS REVERETVS. (vid. SENNERT *Instit.* L. V. P. I. Sect. II. C. 13. GOELICKE *Diss. de Lithotomia.*) Haec methodus IO. DOUGLASSIO occasionem dedisse videtur, ut turundas ex radice gentianae vel sic dicta spongia praeparata confectas in vrethram immittendas proponeret. (vid. *Lithotomia Douglassiana*, p. 68.) Felicem huius methodi successum aliquoties vidit clarus nuper apud Italos Chirurgus BERTRANDI. (vid. *Traité des Operations de Chirurgie traduit* p. M. ROMILLAIS 1769. p. 158.) CELSVS L. VII. C. XXVI. unco calculum educendum esse ait, GUIDO Celsianae chirurgiae restaurator *Chir. Tr. II. Doctr. VI.*

§. III. Dilatatio.

obscure de hac re loquitur: *digito ait in anum imisso calculus feminarum curatur.* Recentiores autem chirurgi varia, ad ampliandam vrethram, ferramenta adhibuerunt. HILDANVS (*de Lithotomia Cap. XXII.*) dilatationem in sequenti ratione instituit. Itinerarium et deinde semispeculum (*vid. Fig. in C. XVIII.*) in vrethram demittit. Tunc extracto semispeculo, indicem et medium digitum in collum matricis immittit, vt calculus versus tenaculam magis adducatur. Quae si non sufficit ad lapidemprehendendum, peculiari quodam ferramento vtitur (speculo forceps) quod quatuor alis armatum arctius eum teneat. HILDANVM secutus est SENNERT, (*vid. Instit. Med. l. c.*) et PLATER (*Pr. Med. T. III. C. XV.*) PIERRE IONNOT, clarus olim inter Gallos Chirurgus, TOLETI magister, specillo fulcato supra quod tenaculam immitteret, omnem dilatationem absoluebat; (*vid. TOLET Traité de la Lithotomie, p. 151.*) TOLET conductoribus et cum his tenacula in vrethram immisissis hoc opus perficiebat. Similem fere rationem alii proposuerunt. GROENEFIELD *A Treatise of the Stone C. XIII. p. 158.* GARENGEOT *Traité des Operations de Chirurgie T. II. p. 82.* et Venerandus Praeceptor Celeberr. DE LA FAYE, vir scriptis et curationibus insignis, *in not. ad DIONIS. Cours d'Operations T. I. p. 339.* Et nuper tandem F. SNIP *de Lithotomia p. 62.* Minus tamen aptos esse puto conductores ad ampliandum vrethrae meatum. Metus enim est, ne horum apice vesica perfodatur, quale exemplum narrat SAVIARD *Observatt. Iatrochirurg. Obs. XXXVII.* Alii fuerunt, qui dilatatoriis magis vterentur. ANT. NVCK catheteris fulcati ope dilatatorium in vesicam introducebat. (*vid. Operationes et Experimenta Chirurg. p. 138.*) Eandem rationem proposuit DIONIS *Cours d'Operations T. I. p. 237.* SHARP *Operations of Surgery C. LXXIII.* et ALGHISI *in Lithotomia p. 90.* Haec autem ferramenta omnia hoc incommodum adiunctum habent, quod vrethram in duobus tantum lateribus distendant. Cui detrimento mederi studuit Chirurgus Florentinus DOMINICO MAZOTTI, noui dilatatorii inuentione, quod tribus alis compositum, fibras quaquauersum in orbem extenderet et vrinae meatum a laesione violenta liberaret. Ferramentum hoc, quod iam in BERBRANDI scriptis (*l. c. p. 158.*) laudatum reperissem, nuperrime descriptum atque delineatum vidi, in recenti libro qui inscribitur: *Descrizione degl' instrumenti etc. dal P. Don*

Don

Don Ippolito Rondinelli Ferrarefi, opera di DON MAURO SOLDO BRESCIANO, p. 58. seq. Tab. XL. Fig. I. II. Maxime tamen et prae ceteris omnibus idonea mihi videtur ea ratio, quam proposuit H. F. LE DRAN, Vir annis et meritis venerabilis. (*vid. Traité des Operations de Chirurgie p. 333.* Specillum rectum, quod in apicem curuum definit, (*Galli sonde à femme dicunt,*) in vrethram conii- cit, huiusque ministerio ductorem canaliculatum; (*gorgeret*) extra- cto deinde specillo parvam tenaculam introducit. Quibus ferramentis ubi prudenter urinae viam dilatauit, maiorem tenaculam immittit, ita ut meatus urinae cum collo vesicae, sensim paulatimque ad eam amplitu- dinem distendatur, quae calculo commode eximendo sufficiat. *Il faut donc faire préter de même l'urètre et le col de la vessie peu à peu et sans trop de forces.* (*cf. PARENTIS mei Chirurgia germanica Th. II. p. 468.*)

Qua ratione etsi magni quandoque calculi eximantur, magis tamen seueram chirurgiam hoc malum interdum exigere videtur. Non tamen defuerunt qui incisionem feminis calculosis inutilem quin adeo perniciosam existimarent. Et primo quidem vetus iamtum auctor RODERICVS A FONSECA, qui tamen scriptis de materia medica magis quam Chirurgia inclaruit, sectionem in feminis alienam esse dixit, etiam si lapides maiores fuerint, (*vid. ei. Lib. de Calcul. Remed. C. X. p. 103.*) Ita pariter THEOD. A CRAANEN in *Tr. de Homine C. CXXXVII. p. 693.* lapidem mulieribus non excindendum esse monuit. IONNOT eiusque discipulus TOLET *l. c.* idem sentiunt. MO- LINEVS ab incisione vehementer alienus est, quem idoneis argu- mentis confutavit HEISTER *T. II. p. 967.* et LAVATER in *Diff. de Calculo p. 231.* In eadem quoque opinione esse scio celeberrimum DE LA FAYE, qui in *notis ad DIONIS.* calculosarum sectionem non vituperavit ille quidem, sed silentio tamen praetermisit. Qui vero ita scripserunt, hoc ita mihi fecisse videntur, quod eis maiores lapides in mulieribus non contigissent. Si enim magno calculo via patefacienda est, vereor ne dilatatione nimis intensa urina viae lacef- santur. Plerique tamen calculos maiores sectionis ope educendos esse censent, in qua nonnulli adeo, contempto dilatationis beneficio, solum huius morbi auxilium ponendum esse sibi persuadent. De loco tamen ad incisionem eligendo maximopere disputatum est. In qua placitorum varietate enarranda atque comparanda ita versabor, ut omnes istas curationes, quae mulieribus calculosis propositae fuerint, ad

§. IV. Va-
riae calcu-
lum mulie-
rum secandi
viae.

ad genera quaedam reuocem. Quae cum ita sint, dicam primo de *Celsiana methodo*. Reliquarum autem methodorum haec genera faciam 1) *apparatum altum*, 2) *apparatum magnum*, 3) *sectionem vaginalem*, 4) *sectionem lateralem*.

§. V. *Methodus Celsiana.*

CELSVS *l. c.* mulierum curationem his verbis expressit: *Virgini subiici digiti tamquam masculo, mulieri per naturalia eius debent. Tum virgini quidem sub ima sinistiore ora, mulieri vero inter urinae iter incidendum est, sic ut utroque loco plaga transuersa sit.* CELSI curationem parum mutauit ALBVCA SIS *L. II. C. LXI.* Eandem quoque intellexisse GVIDONEM *l. c.* a vero propius est. Neque recentioribus temporibus, postquam aliae iam calculum secandi viae innotuissent, pristina veterum ratio penitus neglecta fuit. Feliciter eo usus est a. 1659. IOB. MEEKENIVS. (*vid. ei. Observatt. Chirurg. Amstel. 1682. C. LIII.*)

§. VI. A
FRATRE
IACOBO
*male admini-
strata.*

Eandem chirurgiam, quae minori apparatu administratur, puellis iunioribus adhibuit famosus ille monachus FRATER IACOBVS. Quodsi tamen partium laesarum magis, quam nominis et ferramentorum ratio habenda est, ad apparatum magnum potius referenda erit illa curatio. (*vid. MERY, Observations sur la maniere de tailler C. VII. p. 45.*) Erat autem haec. Digito indice et medio sinistrae manus in intestinum rectum immisso, et altius quidem quam in Celsi curatione solet, vesicam posterius comprimebat. Dextra abdomini imposita calculum recognoscit, quem deinde a posteriore parte vesicae antrorsum inter vaginam et os pubis vrget, et digitis sinistrae firmiter ibi continet. Quibus peractis haud exiguum vulnus instigebat, quod a tubere ischii incipiens eum in locum desineret, in quem calculum traxisset, inter vaginam nimirum et os pubis. Ad extrahendum deinde calculum, ductore canaliculato (*gorgeret*) plagam interius diducit, qua ita distensa cochlear (*curette*) medio cro fortiter intrudit, cuius conuexa pars superiorem partem vesicae, inferior lapidem respicit. Eleuato denique tantillum cochlearis manubrio lapidem a posteriori latere antrorsum vrget, qui hac vi pulsus et sinistra manu retrorsum ire prohibitus, tandem ex vulnere erumpit. Vnusquisque autem facile intelligit in temeraria hac curatione non multas tantum partes discindi, sed inepta illa imprimis ac violenta lapidem extrahendi ratione, vesicam magnopere lacesse et plagam vehementes contandi.

Post

Post FRATRIS IACOBI tempora neminem reperi, qui Celsianam methodum in feminis vel administraret, vel commendaret. Neque HEISTERVS, qui huius methodi fautores studiose collegit, in *Diff. de methodo Celsiana n. III.* aliquid huiusmodi notauit.

Quemadmodum vero omnes calculum secandi rationes in feminis adhibitae fuerunt: ita et apparatus altus a multis commendatur et usurpatur. Huius autem methodi mira fuit origo et lenta progressio. Nemo enim harum rerum peritus ignorat, sectionem hypogastricam non excogitatam fuisse a FRANCO, sed casu ei quasi oblatam, (*vid. des Hernies p. 139*). Prodiit hic liber primum a. 1561. Vehementer tamen hanc sectionem dissuadet ipse FRANCO, propter vulneris vesicae infligendi periculum, quorum tunc temporis magnus metus esset. Iacuit haec methodus viginti annos. Primus eam erexit et ornauit, celebris sectionis Caesareae vindex PIERRE ROSSET, qui, vel suo testimonio, antequam FRANCONIS libellum legeret, de hypogastrica lithotomia cogitauit; quam in feminis praesertim valde commendat. (*vid. Lib. de Partu Caesareo latine versus in Anglico libro: Lithotomia Douglassiana p. 87.* ROSSETI liber gallice primum prodiit a. 1581. viginti annos post librum FRANCONIS. Nescio itaque an ROSSETVS, qui (*l. c. Hist. I. Interim incidi in FRANCONIS libellum etc.*) scribit, se ante FRANCONIS sectionem, calculi supra os pubis sectionem animo secum voluisse, de hac chirurgia nihil acceperit; quod in tanta FRANCONIS celebritate haud verisimile est. Interim tamen haec laus vix poterit ROSSETO denegari, quod primus hanc operationem accurate descripserit et multis modis emendarit. Neque tamen vel in viris vel in feminis eam ROSSETVS, nec alius quisquam illo tempore tentauit. Quod enim *l. c. Hist. II. p. 88.* scribit, latroni cuidam capitis damnato et a Chirurgis impetrato, calculum hac sectione hypogastrica exemptum fuisse, falsum est. Haec enim de isto latrone narratio, quam alii ad apparatus magni inuentionem torquere voluerunt, fabulosa est et huc vix poterit referri. Isti enim homini calculus ex renibus, non ex vesica excissus fuit. Et in eadem narratione lapsus est GVNZIVS. Neque tamen ROSSETI auctoritas hanc methodum potuit stabilire, quam per totum seculum XVII nemo exerceret, praeter BONNETVM quendam Hospitalii Dei (*Hotel-Dieu*) Parisiis Chirurgum primarium, qui medio se-

§. VII. Apparatum altum qui feminis adhibuerint et commendarint. Methodus FRATRIS COME.

culo XVII. iam obiit (*vid. Recherches sur l'Origine et sur les Progrès de la Chirurgie en France, p. 432.*) Eundem BONNETVM mulieres calculosas hac ratione curasse, legitur apud TOLETVM, qui hoc a PETITO acceperat (*vid. l. c. p. 139.*) A. 1700. virgini eandem curationem in Anglia adhibitam fuisse, a PROBYO Chirurgo Dublinensi, legitur in *Philosophicis Transactionibus* eiusdem anni. Etsi a plerisque XVII. seculi scriptoribus, et ab ipso HILDANO valde vituperatur haec curatio: fuerunt tamen celebres quidam viri, qui eam vehementer commendarent. NIC. PIETRE' Medicus Parisinus, qui huic operationi mirum in modum faueret, in breui ista dissertatiuncula quae a. 1635. prodiit: *An ad extrahendum calculum ad pubem diffecanda vesica?* de feminis nihil dixit. Est tamen clarum, illum in mulieribus quoque hanc methodum velle adhiberi. Post hunc a 1698. CORNELIVS VAN SOLINGEN, Medicus Hagensis, apparatus altum praesertim in feminarum curatione maximopere commendavit (*in Medicinale e Chirurgicale Weerken p. 101. sq.*) Non autem laudavit tantum hanc curationem, sed etiam suis inuentis auxit quae tamen a nemine probata, a paucis commemorata fuerunt. Hic enim non liquore vesicam iubet implere, sed supra os pubis eam in alterutro latere ad lineam albam incidere, et exento calculo, lacte tepido eluere et vulnus gastroraphia consuere. DIONIS (*l. c. p. 238.*) sectionem hypogastricam in feminis prae caeteris laudat. Neque tamen ipse eam administrauit, quin adeo videtur ignorasse eam a BONNETO iamtum in mulieribus tentatam fuisse. Tandem initio huius saeculi hanc curationem ab obliuione et Chirurgorum contemptu vindicauit IO. DOUGLASS. Errauit tamen, vti exempla superius commemorata docent IAC. DOUGLASS, qui post FRANCONEM a nemine ait hanc chirurgiam tentatam fuisse, donec tandem frater IO. DOUGLASS eam restituisset. Mirandum inprimis est, nihil eum de ista curatione a. 1700. apparatu alto in femina instituta accepisse. Ita pariter nescio, an methodum suam finxerit IO. DOUGLASS, antequam legisset ROSSETI libellum, quod ibidem affirmat (*vid. DOUGLASS Lateralis Operationis Historia Leidae 1725. in Proëmio p. 12.*) Methodus feminis apparatu alto calculos extrahendi descripta est in *Lithotomia Douglassiana Sect. X. p. 56.* Specillum cauum in apice tantillum incuruatum et in huius capacitae, tubulum annexum, in vesicam demittit; quo facto ministrum iubet digito indice

dice

dice et medio in vaginam immisso, urinae iter versus ossa pubis urgere, ut liquori via praeccludatur. Extracto deinde specillo, in reliquis eandem rationem sequitur, quam in viris praecipit. CHESELDEN, qui DOUGLASSIVM sequitur, nihil peculiare de feminis monuit in libello suo. Ita pariter curationem feminarum praetermissam esse miror a celebri olim eius patrono I. MIDLETON, quem aequae, ac caeteros Anglos hac operatione claros, THURNBILLVM et MARGILLVM eam feminis vel adhibuisse vel certe adhiberi voluisse, a vero propius est. Quemadmodum vero in Anglia Io. DOUGLASS altum apparatus restituerat, ita in Gallia vindicem ac restauratorem nacta est haec chirurgia, Virum Summum F. S. MORAND, qui eam in calculis feminarum maioribus vehementer commendaret. (*Traité de la Taille au haute Appareil p. 279.*) SERMESIVS in Belgio hanc chirurgiam cum laude exercuit, et feminis imprimis adhibendam putavit. Ipse aliquoties mulieres hac methodo a calculo liberavit. (*vid. SERMES. Lithotom. Douglasf. Praef.*) SERMESIO autem peculiaris quaedam methodus est, *l. c. p. 151.* Eandem iam ante SERMESIVM proposuerat PIETRE' *l. c.* Huic methodo haud dissimilis est ea, qua utitur in sectione alta feminis adhibenda, haud incelebris monachus ille Parisinus FRATER COME, quae a nemine, quantum ego quidem sciam, descripta est. Ego vero eam ab ipso FRATRE COME accepi, cuius mihi notitiam fecisset Celeberr. DV HAMEL DE MONCEAV; cuius ille commendationi tantum tribueret, ut, quod perpauci ab eo impetrassent, me chirurgiae suae testem data calculum eximendi opportunitate, vocaret. Alta autem operatione non nisi calculos nimis magnos feminis eximit, cui vsui peculiare ferramentum adhibet, quo per urethram in vesicam demisso, eius fundum interius deinde incidit. Est autem tubus vel potius vagina angusta, plana, argentea, latitudinem digiti minimi aequans, et longitudinem dimidii cubiti, inferius annulo ornata. In cuius vaginae angustia scalpellum reconditum latet, quod uti in aliis eiusmodi ferramentis chirurgicis fieri solet, admoto ad manubrium digito, superius ad unius pollicis circiter latitudinem profilit. Eadem ratione fabrefactum est, uti scalpellum illud reconditum, quod *Bistouri à contrecouverture* appellatur, vel etiam, uti Celeberr. DE LA FAYE acus ad extrahendam cataractam recondita (*cistotome*). Facta exterius incisione, et neglecta vesicae iniectione hoc ferramentum in vesicam demittit, et eleuata huius ministerio

vesica, scalpello ex vagina pulso vulnus exiguum infligit, exterius deinde alio scalpello ampliandum. Vereor tamen, vt in hac methodo praeter vesicae eleuationem, aliquid boni sit. Metus enim in hac chirurgia est contusionis ac dilacerationis. Neque vesicam in omnibus fundi partibus impune vulnerari, exploratum habemus. Quod reliquum est, plerique eorum, qui vesicae vulnera non adeo periculosa habent, altum apparatus ad extrahendos calculos, maiores mulieribus adhibendam esse censent.

§. VIII. Apparatus magni in feminis definitio et a caeteris discrimen.

Apparatu magno in feminis intelligi volo, omne illud chirurgiae genus, quo, vel inciso vrethrae meatu, vel cum hoc, collo vesicae, calculus educitur; ita vt neque a latere colli vesicae plaga infligatur, in quo *lateralis sectionis* discrimen positum est; neque vagina in incisionis societatem trahatur, quem incidendi modum in *sectione vaginali* complector. Est etiam in curatione feminarum calculosarum, aliquod apparatus magni generis scriptoribus dictum, quod in dilatatione tantum continetur, quod aequè hoc loco nolo intelligi. De ista enim calculum educendi ratione, qua ferramentis vrinae viae ampliantur non secantur, superius dictum est. In repetenda autem illius methodi origine, quae *apparatus magni* nomine celebratur, omnes huius inuentionis laudem ad IO. DE ROMANIS pertinere consentiunt; cuius curationem primum a MARIANO SANCTO descriptam esse constat. Parum enim roboris habet ista opinio, qua GERMANVS COLOT, quem patrem dicunt celebris familiae COLOTORVM, primus hanc lithotomiam in latrone tentasse putatur. (*vid. Recherches sur l'Origine et sur les Progrès de la Chirurgie, en France p. 206.*) Ipse enim FR. COLOT (*vid. Traité de l'Operation de la Taille p. 66.*) refert, GERMANVM COLOT Marianam curationem ab OCTAVIO DE VILLA Chirurgo Romano accepisse. In feminis autem aliam secandi rationem proposuit MARIANVS, ita vt sectionis lateralis magis, quam apparatus magni in mulieribus inuentor dicendus esse videatur, de quo deinceps dicitur.

§. IX. Apparatus magni in feminis, patroni. Origo non a MARIANO repetenda.

Primus, quantum equidem sciam, magnum apparatus feminis adhibuit STEPHAN GOVRMELIN (*vid. Ars Chirurg. Parisiis 1580. L. II. p. 149.*) et eum quidem de quo nos maxime loquimur, qui viris a MARIANO praescriptus esset. Eandem quoque mulieribus curationem adhibendam esse censet PAREVS celebris Chirurgiae in Gallia stator ac vindex (*vid. ei. Opp. L. XVI. C. XLVII. p. 503.*) Catheterem enim

enim

enim iubet in vesicam conuicere et super eius fulco cervicem vesicae incidere. Quod vulnus ferramentis deinde vult ampliari. Cauendum tamen esse, putat a nimis violenta dilatatione, quam magno apparatu propriam esse omnes harum rerum periti sciunt. PAREVM secutus est TH. FIENVS (vid. *Controu. Chirurg. Tr. IX. in MANGETI Bibl. Chirurg. T. II. p. 250.*) qui in mulieribus a sectione perinei maximopere abstinendum esse monet. Eandem methodum collum vesicae incidendi, proposuit SCHAEFFER in *Diss. de Lithotomia §. XXII.* Eadem quoque ratione a magno calculo liberata fuit octogenaria, cui ceruix vesicae inferius incideretur. (vid. BONNETI *Medicina collatitia P. I. p. 769.*) Ab incisione colli vesicae, vehementer alienus est HILDANVS; metuens, ne hoc resolutio inuoluntarium vrinae profluuium oriatur (vid. *Lib. de Lithotomia C. XXI. in Opp. p. 743.*) Ipse tamen aliquando feminae, peculiaribus rationibus motus, lapidem inciso vesicae collo, exemit (vid. *Obs. Cent. I. Obs. LXVIII.*) Quam narrationem minus recte mihi intellexisse videtur GVNZIVS. DE HILDANI autem ratione alius erit dicendi locus. Magnum apparatus, qualis viris adhibetur, feminis conuenire, porro scripsit SENNERT in *Instit. Med. L. V. P. I. Sect. II. C. XVI. p. m. 1059.* Quemadmodum vero in viris, quod ex PAREO imprimis manifestum est, plerumque ad sinistrum latus tantillum, incisionem dirigebant: ita hoc etiam de feminis intelligendum est. Fuerunt tamen qui inferius cervicem inciderent. COLOTI autem, in quorum familia calculum secandi artificium et ius, per centum et quod excurrit annos contineretur, ita versabantur in mulierum curatione, vt vrethram cum collo vesicae superius ad rectam lineam inciderent. (vid. PAREVS *l. c. p. 503.*) Hanc secandi rationem vehementer dissuadet, Clarissimus nuper apud Gallos Chirurgus LE CAT (vid. *Pieces concernant l'Operation de la Taille p. 5.*) Venas enim in superiore parte vrethrae, prae viris copiosas naetae sunt mulieres (vid. WINSLOW *Exposition Anatomique T. III. p. 114.*) Alii collo vesicae parcendum esse existimantes, vrethram tantum inciderunt. Multi ab utroque latere hanc sectionem faciendam putarunt. Erat haec olim curatio, quam feminis adhiberet GROENFIELD (vid. *l. c. Ch. XIII. p. 160. a small incision to the Right and Left, of the external Orifice etc.*) Eandem quoque modum proposuit DIONIS *l. c. T. I. p. 238.* Etsi vero, quod eodem in loco DIONIS animaduertit, vix sine incontinentia

vrinae mulieres esse soleant, quibus hac ratione calculus eductus fuerit: haud tamen dissimulandum est, magnum apparatus tutius feminis quam viris adhiberi. Notauit etiam CHESELDEN feminas longe facilius magnum apparatus pati quam viros (*vid. DOUGLASS Hist. lateral Append. p. 33.*)

§. X. Sectio vaginalis.

Aliam viam ingressi sunt clari quidam Chirurgiae magistri. Vaginam quidem et cum hac vesicam in imo ventre perforarunt, et lapidem, distento tantillum vulnere, eduxerunt. Primus, quod ego sciam, hanc medicinam proposuit et administravit HILDANVS. Cum enim vulnera colli vesicae, propter vrinae stillicidium vehementer extimesceret: vesicam, inciso prius matricis collo, in imo abdomine maluit discindere, quam ceruicem vel leuissima plaga labefactare. Iubet itaque, idoneo ferramento lapidem ad collum vesicae adducere, et ipsi vesicae corpori plagam per collum matricis infligere (*vid. Lib. de Lithotomia C. XXII. Opp. p. 743.*) Nescio tamen an, vel hac ratione, inciso nempe vesicae corpore, vnquam exercuerit hanc chirurgiam HILDANVS. Ceruicem enim vesicae aliquando, per vaginam incidit in femina calculosa, (*vid. Obs. Cent. I. Obs. LXVIII.*) cui vlcus in ista regione natum viam hanc patefecisset. Eandem curationem proposuit I. MERY acris olim FRATRIS IACOBI censor (*sur la Maniere de tailler C. IV. p. 30. cf. DOUGLASS Lateralis Operationis Hist. p. 80.*) Cum enim in FRATRIS IACOBI methodo emendando vehementer laboraret: hancce feminis calculosis chirurgiam commendauit. Catheterem sulcatum in vesicam coniici vult, habita simul cura, vt huius conuexitate, deorsum versus orificium vteri externum, trudatur ea vaginae pars, quae sub extremo vesicae corpore sita est. Incidendam deinde indicauit illam ipsam vaginae partem, quae catheteris sulco promineat. Ita enim per exiguum vaginae vulnus, aditum facillimum ad vesicam muniri, et calculo exeunti, amplam viam, per hiatus ossium pubis patere sibi persuadet. Cum vero multis exemplis didicisset, exigua quaelibet vaginae vulnera, calculosis feminis haud raro fistulas diuturnas, a vesica ad vaginam manantes, contrahere, et vrinae, per has partes, stillicidium mouere: ipse hanc methodum reiiciendam putauit. (*vid. MERY l. c. p. 70.*) Eadem ductus ratione, nempe vt FRATRIS IACOBI secandi modum corrigeret, hanc sectionem vaginalem proposuit MARTIN LISTER (*vid. ei. Iter Parisinum*

rissimum a. 1697.) Vaginam quidem et vesicae membranas incidere, fatius duxit, quam vrethram secundum longitudinem disseccare; fistulas in vrethra metuens; quas nescio, cur in vesica et vagina tolerandas putarit. Eodem fere artificio PAVLVS BVSSIÈRE feminam Hamburgi a calculo quinque vnciarum feliciter liberavit. Nam immisso in vaginam digito, et adducto ad collum vesicae lapide, vaginae et vesicae membranas supra calculum, disseccuit. (*vid. BVSSIÈRE a Letter to D. Sloane in Philosophical Transactions 1699. p. 106.*) Haec medendi via, quam Chirurgus quidam Germanus ingressus esset, tanquam noua et inaudita commemoratur in *Nov. Act. Nat. Curios. Vol. I. 1757.* (*cf. HOVTTVYN in not. ad PARENTIS mei Chirurgiam, quas versioni Belgicae adspersit T. II. p. 402.*) Ab hoc autem calculum educendi modo, vehementer iam tum alienum esse video IOS. COVILLARD celebrem superioris seculi Chirurgum (*le Chirurgien Operateur p. 110.*) Nuper tamen hanc Lithotomiam, quae incisa vagina perficitur, probavit Celeberr. LEVRET, meus nuper in Arte obstetricia praeceptor. (*vid. Essai sur l'Abus des Regles generales dans les Accouchemens p. 193.*)

In repetenda *methodi lateralis*, quam dicunt, origine, difficile est propter scriptorum in hoc genere negligentiam ac obscuritatem, iudicare, quinam primus de sectione laterali feminis adhibenda cogitarit. In ea tamen me opinione esse profiteor, vt hanc chirurgiam in feminis multo iam ante FRATRIS IACOBI tempora, a quibus lateralis Lithotomiae origo plerumque ducitur, vsurpatam fuisse existimem. Neque dubitauerim affirmare, falli in hac re paene omnes scriptores, dum FRATREM IACOBVM primum fuisse sibi persuadeant, qui calculos per vulnus vesicae a latere inflicto eximeret. Qui enim FRANCONIS libellum accurate perlegerit, eum suo iam tum tempore de sectione laterali cogitasse reperiet. Primus, quantum ego sciam, hoc animaduertit, Celeberr. IAC. DOUGLASS cuius ego lectione FRANCONIS vocem recte didici interpretari. (*Hist. lateral. Append.*) Primus vult videri in hanc opinionem incidisse LE CAT (*Pieces concernant l'Operation de la Taille Premier Recueil p. 2.*) Praecipit enim FRANCO, vt specilli manubrium versus latus dextrum inclinetur, quo incisio in sinistro latere oblique magis perficiatur (*vid. Traité des Hernies p. 130.*) In mulierum tamen curatione praeter digitorum demittendorum rationem, nihil de methodo

§. XI. Apparatus lateralis. ante FRATREM IACOBVM administratus.

thodo sua exposuit. Ferramentum tamen proposuit in vesicam con-
iicere, quod collum vesicae ab utroque latere discinderet. (*vid. fig.*
p. 152.) Neque tamen isto ferramento se unquam usum fuisse eodem
loco dicit. Sed iam ante FRANCONEM lateralem incisionem in
feminis commendavit MARIANVS. *Si calculus magnus fuerit, tunc*
(l. c. C. XXII.) ait eadem curatio, quae de maribus est dicta, necessaria
erit mulieri talem calculum patienti. Verum locus incidendus eligatur
inter os femoris et urinae iter etc.

§. XII. Appa-
ratus latera-
lis FRATRIS
IACOBI.

FRATER IACOBVS, qui versus finem seculi superioris inclaresce-
re inciperet, iuniores puellas apparatu paruo (*vid. §. VI.*) adul-
tas laterali sectione curauit. Eandem vero rudem ac funestam chir-
urgiam, qua in viris cum summa aegrorum intereptione vteretur, in
feminis exercuit teste MERY *l. c. p. 27.* Specillo adeo suo utebatur
non fulcato. Vt tamen aliqua saltem ratione, ab usitata sua in viris
curatione discedere videretur, in dextro latere eas secabat. Vulnus
infligebat prope tuber ischii, haud exiguum, quod a musculo leuato-
re ani ad acceleratorem clitoridis porrigeretur et vaginae partem
posteriorem et vesicae corpus perfoderet, vti cadauerum inspectiones
et urinae ex vagina profluvia docuerunt. Vesicae vulnus adeo am-
plum erat, vt inferius ab urethrae origine incipiens, eo demum in loco
terminaretur, in quem ureteres descendunt. Vagina ad vnus pol-
licis latitudinem plerumque discindebatur. Saepius etiam intestinum
rectum vulneratum repertum fuit. (*vid. MERY p. 77. et DOUGL. p. 246.*)
Vaginae vulnera non metuebat. Etsi vero sine vitae discrimine vagina
dissecetur: vnusquisque tamen facile intelligit, viam hac ratione vri-
nae in vaginam aperiri, cuius perpetuo stillicidio vaginae vulnus
exedi et malignas in hac parte fistulas gigni; quod in FRATRIS
IACOBI curationibus saepius obseruatum fuit. Vagina autem vlcere
tali contaminata, ita tandem labefactatur, vt ad hauriendum semen
virile ea facultate destituatur, qua adempta steriles reddi feminas ex-
ploratum est.

§. XIII. RA-
VII metho-
dus.

Qua ratione RAVIVS, cuius demum ingenio ac manu, incerta
ac perniciofa FRATRIS IACOBI methodus salutaris atque secura esse
coepit, feminis calculum exemerit, obscure tantum docent testes eius
ac discipuli. Dicit tamen Venerandus Senex BERNHARD SIGFRID AL-
BINVS (*in Suppellest. Rauiana*) eum mulieres curasse eadem, qua in viris
vteretur, ratione. Repetiit hanc ALBINI vocem IAC. DOUGLASS (*l. c.*
p. 94.)

et Celeberr. HEISTER (*Inst. Chir. p. 969.*) Omnes autem in eo consentiunt, RAVIVM in puellarum curatione se continuisse et a mulieribus, qui mare[m] passae fuerint, manum abstinuisse. (*vid. DOUGLASS l. c.*) Idem testatur SERMES in *Lithotomia Douglassiana p. 182.* et CAMILLVS FALCONET in *Quaest. An educendo calculo caeteris anteferendus apparatus lateralis? Parisiis 1744.* (*in Collect. HALLERI T. IV. p. 208.*) Puellae a. 1714. vidit a RAVIO calculum educi IAC. DENYS. (*Obs. de calculo C. X. p. 134.*) Eandem chirurgiam tunc adhibuit, qua in maribus vteretur. Neque vaginam, neque alias partes vicinas dilaceravit, aegraque sine urinae incontinentia conualuit. Multas feminas RAVII artificio a calculo liberatas esse, idem auctor testatur. Haec tamen RAVII curatio, quam feminis adhiberet, in praestantissimi viri ingenio recondita mansit, neque a discipulis eius ita in lucem producta est, ut, quod vel fuerit RAVII artificio, vel quas partes fecerit, accurate dignosci possit. Neque hanc chirurgiam ipse CL. DENYS administravit, qui vel suo testimonio, multis mulieribus magno apparatu opem tulit (*l. c. p. 133.*)

Coeperunt deinde Galli de alio lateralis sectionis genere cogitare, quod ad collum vesicae magis pertineret. Postquam enim CHESELDEN atque Venerandus MORAND curationibus suis docuissent, collum vesicae in laterali sectione incolume praestari vix posse et sine aegri internecone discindi: eandem quoque chirurgiam feminis profuturam esse sperarunt. Neque tamen volo ad illam controuersiam descendere, qua de restauratore huius curationis disceptatur. De cuius nominis gloria, mira atque acerba ingenii et animi contentione certarunt LE CAT, et magni nominis vir ANTOINE LOVIS cuius ingenium omnes admirantur, multi amant, non pauci extimescunt, et quem ego non possum sine honoris aliqua praefatione hoc loco appellare, propter eximiam in me humanitatem ac beniuolentiam; quae nunquam mihi eruditione, consilio, commendatione, auctoritate defuisset. Fost RAVIVM primus, vel suo testimonio, lateralem sectionem feminis accommodavit LE CAT, et a. 1735. mulierem hac ratione a calculo feliciter liberavit. Hanc vero suam methodum a. 1732. iam tum promulgavit, in epistola ad GVNZIVM olim nostrum (*vid. Journal de Verdun a. 1732.*) Deinde HEISTERVS in Opere chirurgico a. 1739. ad lateralem colli vesicae incisionem hortatus est T. II. p. 966. Imo cur non integram cervicem, una cum parte ve-

§. XIV. Qui primus inter Gallos sectionem lateralem feminis restituerit.

XVIII

ficæ incidere licebit?) Vix tamen in isto loco intelligo HEISTER-
RVM qui hoc chirurgiæ genus a TOLETO repetit; quem ab
omni sectione in feminis calculosis vehementer alienum fuisse supe-
rius demonstratum fuit. In huius etiam inuentionis societatem, iure
quodam suo venit Venerandus Senex H. F. LEDRAN. Et eiusdem
denique gloriæ particulam sibi vindicat, Chirurgus Orleanensis LE
BLANC.

§. XV. Me-
thodus quam
proposuit LE
DRAM

Dicam primo de ea calculosarum curatione, quam a. 1742. pro-
posuit LEDRAN, *Traité des Operations de Chirurgie p. 334.* In
maioribus calculis metuit, ne dilatatione vehementius intensa vel vrinae
viae consumantur, vel aegra funestam inflammationem contrahat.
Quapropter eadem methodo, quæ in maribus consuevit, in feminis
vti iubet. Demisso in vesicam specillo (*sonde à femme*) fulcatam
eius partem, versus sinistrum latus inclinat, ita vt inter anum et tu-
berositatem ischii tantillum promoueat. Digito interim sinistrae
manus in vaginam immisso, specillum a vagina, quantum fieri potest, re-
mouet, ne illa offendatur. Scalpello deinde, quo vti solet (*bistouri à
rondache*) super isto specilli fulco, collum vesicæ atque vrethram disse-
cat. Extracto denique scalpello, ductorem (*le gorgeret*) per vulnus
in vesicam demittit, cuius ministerio digitum ad ampliandum vulnus
introducitur, vt eo liberior via calculo pateat, tenacula extrahendo.
Est tamen haud exiguum huius curationis incommodum, quod specil-
lum, a cuius firmo ac prudenti directione, omnis Lithotomiæ exitus
pendet, ministro confidendum sit. Celeberr. LOVIS qui hanc curatio-
nem in cadaueribus sæpius tentauit, lapides maiores non sine difficulta-
te educi putat. Scinditur in hac chirurgia collum vesicæ cum vrethra.

§. XVI. Me-
thodus qua
usus est LE
CAT.

Eodem fere tempore a. 1742. lateralem calculosarum mulierum
curationem proposuit Cl. LE CAT, quæ ad illam methodum, quam LE
DRAN paullo ante descripserat, proxime accedit. Plagii tamen culpam,
in quam Celeberr. LOVIS eum traxisset, a se auertere studuit, vt sibi
restauratoris nomen, quo mirifice ille delectatur, vindicaret. Neque
tamen ista inuentionis laude, sine aliqua iniuria poterit superbire LE
CAT, quam ad RAVIVM pertinere certum est, qui a. 1714. (*vid.
DENYS p. 134.*) hac methodo usus fuit. Neque poterat hæc RA-
VII curatio Celeberr. LE CAT a. 1735. ignota esse, cum DENY-
SII libellus a. 1731. prodiisset. Methodus autem, qua tunc vteretur
LE CAT, hæc fuit. (*vid. Pièces concernant la Taille p. 11.*) Ductorem
cana-

canaliculatum (*gorgeret*) qui in specillum fulcatum desinit, in vretthram coniicit, ita vt specilli fossula versus sinistrum latus dirigatur. Huius fossulae beneficio scalpellum incuruum (*urethro-cistotome*) introducit, quo collum vesicae discindatur. Extracto scalpello et alius demisso ductore, immissoque tandem super hoc, digito indice, dilatationem absoluit. Quibus peractis tenacula, cuius brachia distenta sint, lapidemprehendit.

Eodem fere tempore, aliam methodum sectionis lateralis proposuit Celeberr. LOVIS, qui ea iam aetate curationibus, scriptis et inuentis inter Chirurgos inclaresceret, quam plerique in primo artis tirocinio consumunt. Descripta legitur methodus eius in *Mercurie de France 1746*. Accuratam quoque methodi et Instrumenti descriptionem dedit Vir Celeberr. in *Dictionnaire Encyclopedique* sub voce *Taille*. Nuperrime denique hanc curationem descriptam vidi in mediocri libro qui inscribitur: *Precis de Chirurgie à Paris 1768*. Ad quam methodum suam, peculiare excogitavit ferramentum, quod humanissime mecum communicauit. Vberior eius descriptio legitur in *Dictionnaire Encyclopedique* sub voce *Lithotome*. Lamina myrtiformis obtusiore apice, ancipite acie armata, duorum pollicum cum dimidio longitudinem et sex ad decem linearum latitudinem aequans, in caudam quasi desinit, quae quatuor pollices cum dimidio habet et per cuius superiorem superficiem tenuis eminentia porrigitur. Hoc scalpellum in capsam vel vaginam argenteam immittitur, ab utroque latere exiguo sulco apertam in apice clausam. Haec vagina in extremis partibus ad caudae scalpelli angustiam conformata, in medio in latam capsam oualem pariter vtrinque apertam extenditur, in cuius angustia scalpelli acies contineantur. Est autem tota ista vagina, et in media, et in vtraque extrema parte, superius sulco tenui excauata, in cuius longitudine ista eminentia scalpelli excipiat. Quo instrumento sequenti ratione utitur Vir Celeberrimus. Lamina scalpelli, in myrtiformi capsula sua recondita, apicem vaginae in vretthram immittit, ita vt fundum vesicae sursum magis respiciat quam intestinum rectum. Quo facto, scalpelli laminam, presso eius manubrio inferius vel appendicula, ex capsula vrget. Quod vbi ex ea emergit, vretthram ab vtraque parte discindit. Qui accuratam magis huius operationis descriptionem desiderent, legant quae Celeberr. Vir de ea praecepit in *Dictionnaire Encyclopedique*

§. XVII. Sectio lateralis Celeberr. LOVIS. Eam vituperat LEB CAT.

dique. Taille des femmes. Si calculus valde magnus est impetu quodam scalpellum in vesicam vrgere iubet. Multis modis hanc methodum labefactare studuit Cl. LE CAT, eo imprimis contra Celeberr. LOVIS argumento vsus, quod a vulnerum in vesica periculo ducitur. Vesica enim in hac methodo, quod in cadaueribus saepius animaduerti, et nuperrime vidi, vix ac ne vix quidem a laesione vindicari potest, si scalpellum penitus intrudatur, quod ipse Vir Celeberr. praecipit in epistola ad Cl. LE BLANC (*vid. LE CAT Pieces concernant la Taille p. 148.*) Non tamen video, cur propter istud vesicae vulnus, perniciofa habenda sit haec curatio; contra quam ita disputauit LE CAT, vti solent, qui ingenio et argumentis ad extinguendam aemulationis libidinem abuti didicerunt. Quid vero duabus sectionibus opus sit, non video. Si scalpelli acies in vethrae finibus contineretur, malle hac ratione vti, quam vlla alia. Quod si vero in vesicam ipsam coniiciendum est scalpellum, nimis putauerim, eius collum imprimis, hac ratione labefactari. Feliciter aliquoties Celeberr. LOVIS methodo sua vsus est (*vid. Dictionaire Encyclopedique. Taille.*) Quae cum ita sint, omnes intelligunt multas esse huius methodi cautiones, multaque pariter commoda. Omnibus methodis eam praefert auctor libri, qui inscribitur: *Precis de Chirurgie; (l. c.)* quae mihi laus ad ista orationis lenocinia pertinere videtur, quibus mediocres scriptores, magnorum virorum, quorum auctoritatem extimescant, beniuolentiam ac iudicium emendicare interdum student.

§. XVIII.
Hanc methodum imitatur et mutat
LE BLANC.

Hanc celeberr. LOVIS feminas curandi rationem, immutauit LE BLANC, eodem fere tempore quo LOVIS eam proposuisset (*vid. LE CAT l. c. p. 19.*) Ferramenti fabrica et reliqua incidendi ratio parum differt, nisi quod scalpellum vna tantum lamina munitum, non ab vtroque latere vulnus, vesicae eiusque collo infligat. Hanc methodum a. 1748. reliquit LE BLANC, fractus argumentis, quibus LE CAT vulnerum in vesica periculum demonstrasset (*vid. l. c.*) Celeberr. LE CAT ferramentum suum, singulari artificio compositum (*gorgoret-cislotome*) quo in virorum lithotomia feliciter quondam vsus est, feminarum curationi prodesse scripsit a. 1752. in libro qui inscribitur: *Second Recueil des Pieces concernant l'Operation de la Taille p. 16.* et nuperrime a. 1766. (*vid. Parallele de la Taille laterale de Mr. LE CAT avec celle du Lithotome caché, à Rotterdam*

terdami 1766. p. 56.) In feminis autem alia huius instrumenti adhibendi lex est. Diductis enim verendarum partium labiis et nympharum praesertim alis, in vrethram et collum vesicae immittitur; habita tamen cura, ut versus latus sinistrum dirigatur et tantillum simul ad regionem pubis. Et hac cautione in feminarum curatione semper opus est. Qua neglecta, si recte nimis tenetur scalpellum et profundiore in loco incipitur incisio colli vesicae, vagina grauius vulneratur, quam oblique sub vesica ab orificio vrethrae descendere, omnes cognitum habent atque exploratum.

FRATER COME qui lithotomo recondito, nominis sibi celebritatem quandam inter Chirurgos peperit, istud ferramentum suum ad feminas quoque pertinere voluit saepiusque eo usus est. Omnibus autem harum rerum peritis illud cognitum esse arbitror. Centies enim illud descriptum est atque delineatum. Est vero illud ad syringotomi, cuius figuram exhibuit PATER meus in *Instit. Tab. IV. Fig. II.* reconditi, normam, tam accurate fabrefactum, ut, si a manubrii artificio discesseris, nullum discrimen reperiatur; uti recte obseruauit Celeberr. LE DRAN (*Suite du Parallele etc. p. 39.*) Legenda sunt, quae ipse FRATER COME de hac mulierum lithotomia praecepit (*vid. eius liber qui inscribitur: Recueil des Pièces importantes sur l'Operation de la Taille, faite par le Lithotome caché à Paris 1751. Vol. I. p. 14.*) Incidendi locus idem est, quem in viris indicauit, inter tuberositatem ischii et intestinum rectum. Specillo in feminis non utitur, quo, cur in his opus non sit, vix possum animo concipere. Digitis autem sinistrae manus, vaginam ad dextrum latus iubet reclinare, ne illa in vulneris consensum trahatur. Hac ratione, calculos adeo minores mauult eximere, quam vrethrae angustiam dilatare. Vidi autem in tentaminibus meis, hoc ferramentum, cuius in viris multae sunt cautiones, in feminis valde periculosum esse. Primo enim magna, instrumenti sine specillo in vesicam demittendi, difficultas est. Illud enim sine hoc moderamine facile delirat, et, vi impulsus, vesicae collum contundendo et lacerando male habet. Deinde si ad n. 11-13. scalpellum a vagina diducitur, qua amplitudine in magnis lapidibus opus est, non fundus vesicae solum, sed vagina vteri quoque perfoditur. Quod in ista laminae conuexitate non mirandum est. Neque felices FRATRIS COME mulierum calculosarum, vel hac methodo, curationes fuerunt; si acerbo eius aduersario hac in re fides habenda est. (*vid. LE CAT Second. Recueil p. 243.*)

§. XIX. Sectio mulierum lateralis
FRATRIS COME cum lithotomo recondito.

contra quem se defendit in *Addition au Recueil des Pieces importantes* p. 32. 35. Quemadmodum vero non defuerunt, qui lithotomi reconditi in se patrocinium susciperent: ita etiam in feminis a multis probatus fuit. De felice curatione, qua feminae viginti sex annorum duos calculos eduxit, valde gloriatur CHASTANET, acris FRATRIS COME defensor (*vid. ei. Lettre sur la Lithotomie* 1768. p. 182. seq.) Eandem methodum ad curandas feminas commendat PREVAL in Dissertatione Parisina quae inscribitur: *Ans scalpello vagina recondito sectio lateralis perfectior?* 1754. (*vid. HALLERI Disputatt. Chirurg. T. IV. p. 320.*)

§. XX. Methodus quam FLVRANT proposuit.

Supereft vt ferramentum indicemus, quod ante aliquot annos excogitauit Chirurgus quidam Lugduni Gallorum haud inceleber, FLVRANT, quod descripsit et delineauit Celeberr. POUTEAV (*Melanges de Chirurgie* p. 325.) Est autem istud ferramentum ingeniose admodum fabrefactum, multisque partibus compositum. In cuius artificio describendo, ne nimis longus sim, ea indicasse sufficiat, e quibus instrumenti vsus cognoscatur. Est autem illud ad duplicem colli vesicae sectionem ita accommodatum, vt duae laminae, quae trium pollicum et quinque linearum longitudinem et trium linearum latitudinem aequent, in vaginula reconditae sint. Laminarum autem latitudo, quae sensim paulatimque diminuitur, tandem in apicem obtusorem desinit. Quae vbi ex vagina vtrinque expelluntur, collum vesicae cum vrethra vtrinque discinditur. Neminem tamen vel vidi, vel audiui, qui hanc methodum probaret aut administraret. Quodsi enim duplici in feminis incisione opus fuerit, ad calculum commode eximendum, (vtrum vero opus sit, me peritiores iudicent) tunc ista incidendi ratio qua Celeberr. LOVIS vtitur, hac multo erit perfectior. Nimia enim laminarum angustia, vt caetera omittam, hoc incommodam adiunctum habet, vt non sine impetu quodam, plaga collo vesicae infligatur. Quapropter metus sane est in hac FLVRANTI chirurgia, ne cernix vesicae labefactetur et vulnere nimis violento contundatur. Haud tamen oportet dissimulare, me hoc lithotomiae genus nunquam in cadauere tentasse, vel ab alio vsurpatum vidisse. Silentio tandem nolui praetermittere, FRATREM COME singulari hodie ratione in educendis mulierum calculis vti, nondum descripta, cuius tamen mox copiam facturus est in peculiari libello. Mecum eam communicauit quidem bonus Senex,

Senex; sed vt ingenue profitear memoria multa exciderunt, quae de noua ista methodo mihi narraret, vel quod confuse ille hoc aliquantum et obscure, faceret, vel quod ego parum attentus essem. Quapropter tribus tantum verbis indicare nouam istam curationem volui, quam optabile est, lithotomo eius recondito certiore esse atque faciliorem Memini tamen eum dicere, se triginta et quod excurrit feminis, ignota illa medendi ratione sua, opem tulisse, quae, paucis exceptis, sine vitae discrimine hanc chirurgiam passae fuerint et vrinam bene continuerint.

Huius Speciminis scribendi occasionem mihi dedit iudicium

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
F R I D E R I C I A V G V S T I
 DOMINI MEI INDVLGENTISSIMI

quo factum est, vt Medicinae Professoris munus extraordinem mihi in hac Vniuersitate demandaretur, in qua Pater olim meus docuisset, cui, licet permature mihi erepto, hunc tamen aduersus, illam partem doctrinae amorem gratissimus debeo.

Quod

Quod beneficium, vti a maioribus institutum est, d. xxviii. Marti solemnè oratione celebrabo. In ea autem breuiter ostendam *Medicos de animi cum corpore consensu audiendos esse, ad infringenda commenta materialistarum.*

Quem diem meum vt praesentiae suae beneficio ornare velint **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS ILLVSTRISSIMI COMITES VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GENEROSISSIMI ATQVE POLITISSIMI COMMILITONES**, ea, qua par est, observantia rogo.

P. P. Dom. Laetare A. R. S. cIcIccclxx



Char. 260, 00